


Vg
862



GM. 206. 9.

Vg
862

COGI-
TATIONES NICO-
LAI AMSDORFII DE
CONCILIO NVN-
QVAM FVTVRO
SI PER PAPAM
LICEAT.

ANNO 1533.





PRIMA PARS.

- 1 **C**hriftiani poffunt inter fe celebrare Concilium, & de rebus fidei et animarum falute tractare.
- 2 Non autem concludere debent fecundum fua confilia & beneplaata.
- 3 Neq; fecundum ufum & confuetudinem quantumuis fanctam & multis feculis obferuatam.
- 4 Sed fecundum uerbum Dei, ordinari & conftitui debent omnia.
- 5 Et omnino nihil, doceri, inftitui, aut precipi fine uerbo Dei.
- 6 Nam concilium fubiacet autoritati uerbi Dei.
- 7 Ideoq; uerbum & preterea nihil concilium ipfum gubernare & moderari debet.
- 8 Vnico enim homini cum fcriptura, plus credendum eft, quam concilio fine uerbo.
- 9 Quod & Papa in fuis decretis recte teftatur.
- 10 Maior enim eft unius hominis autoritas cum uerbo Dei, quam totius concilij fine uerbo.
- 11 Propter concilium (quamuis eius autoritas
maximas

- maxima sit apud homines) nihil est credendum.
- 12 Propter uerbum Dei omnia sunt credenda
etiam si priuatus id predicet.
 - 13 Qui propter concilium credit, propter laruas
& personas credit, adeoq; propter homine
 - 14 Sed maledictus sit, qui confidit in homine etiam
si sit Papa cum tota Romana ecclesia.
 - 15 Maledictus ergo est, qui credit concilio sine
uerbo.
 - 16 Qui crederet ipsi Euangelio propter concili-
um, nõ crederet euāgelio, sed decretis hominũ.
 - 17 Adeoque hominibus non Deo ipsi qui est
ueritas.
 - 18 Determinationi concilij (quod ipsi dicunt Ec-
clesie) non est credendum sine uerbo
 - 19 Quia concilium sine uerbo non est ecclesia, sed
umbra & larua ecclesie.
 - 20 Neque itaq; est homini Christiano, illi con-
sentire, quod Conciliorum autoritas, quod om-
nium Ecclesiarum, ac tot gentium consensus,
tot iam seculis sine uerbo Dei comprobauit.
 - 21 Conciliorum autoritas nulla est sine uerbo.

Consensus

22 Consensus omnium ecclesiarum ac tot gentium nihil est sine uerbo.

23 Omnia etiam secula nihil sunt sine uerbo, multo minus tot secula.

SECUNDA PARS.

24 **C**um Phariseis & Scribis non celebrabant concilium Apostoli.

25 Quid enim oues cum lupis tractare possunt, aut pro salute sua cum illis consulere?

26 Quomodo lupi consulerent pro salute ouium?

27 Contra oues, pro se, omnia faciunt lupi & consulunt.

28 Lupi non pertinent ad ouile Christi, sed pastores & oues.

29 Igitur cum lupis, consulere, neq; debent, neq; possunt pastores & oues.

30 Nisi lupus uelit fieri agnus, & uocem pastoris audire.

31 Hoc est quod Esaias uoluit quando dixit, Lupus habitabit cum agno.

32 Papa Cardinales & Episcopi, non sunt oues neq; agni, multo minus pastores.

Sed

- 33 Sed lupi sunt & latrones, ut inquit Christus,
quia per ostium non intrauerunt in ouile.
- 34 Quod omnibus notum est, & apud illos ipsos
omnium certissimum.
- 35 Quis enim illorum propter Christum & eius
oues factus est episcopus?
- 36 Propter uentrem & gloriam fit Papa, fit
episcopus, fit cardinalis.
- 37 Igitur cum Papa Cardinalibus & Episcopis
concilium celebrare, neq; possunt neq; debent
Lutherani.
- 38 Quantum pastor cedit lupo, tantum cedere de
bent Lutherani illis.
- 39 Pastor qui cederet lupo, non modo stultus sed
& insanus esset.
- 40 Sic insane essent oues, si lupum ad suum ouile
admitterent.
- 41 Nam in perniciem ouium fieret, siue ab ipsis
siue à pastoribus fieret.

TERTIA PARS

42 **P**apa cum suis creaturis conciliabulum
facere potest.

43 Id autem non est, neq; esse potest ouile Christi
& ecclesia Dei.

44 Qui uero ad illius conciliabulum uocatur &
citatur, uenire tenetur, & coram eo rationem
fidei suæ reddere,

45 Propter fidei confessionem inquam uenire de-
bent Lutherani.

46 Non ut cum lupis consulant, aut cum illis con-
ueniant.

47 Cum Lutheranis conuenire debent ipsi, & ce-
dere uerbo dei, uicti ueritate ipsa, quæ est
Christus.

48 Qui ad illorū uocationem non ueniret, ille ne-
que Lutheranus, neq; Christianus esset.

49 Quia candelam poneret sub modio, et abscon-
deret lucernam ne luceret coram hominibus.

50 Etsi Augustæ comparuerūt Lutherani & lu-
cernam suam supra candelabrum posuerunt ut
omnibus luceret,

A iiij Tamen

- 51 Tamen propter oues Christi, quas ipse habet,
 & in ceteris nationibus omnino est reddenda ra-
 tio fidei nostræ.
- 25 Et ponenda candela nostra supra candelabrum
 ut & illis luceat.
- 53 Ad Phariseorum senatum ueniebant Apostoli
 & Christum confitebantur.
- 54 Rationem fidei ex scripturis reddebant omni-
 bus id petentibus.
- 55 Et quia multi in multis sunt nationibus qui id
 petunt, Ideo illis est inserviendum.
- 56 Cum Phariseis & Scribis nihil tractabant, nec
 quicquam consilij habebant Apostoli.
- 57 Quod si illorum consilia audissent Apostoli,
 Christum nunquam prædicassent.
- 58 Sic Lutherani nunquam prædicarent uerbum
 Dei, si Papa cum suis creaturis esset audiendus.

Quarta

QVARTA PARS.

59 **N**on autem est comparendum in concilio
propter Papam quem non tanti facio.

60 Tanti autem facio Papam, quanti facio Turcam

61 Nisi quod Papa non parum peior sit Turca.

62 De Papatu loquor, non de persona Papæ
quantumuis malus sit,

63 Quia uerbum Dei non uult audire Papa, sed
illud damnat & summe blasphematur.

64 Et confessores eius persequitur & summo odio
interficit sub nomine Christi.

65 Ideo ad Papæ citationem seu uocationem nemo
comparare tenetur.

66 Nisi agnus ad lupi citationem uenire cogere-
tur.

67 Propter imperatorem autem & rerum &
mundi dominum, est in concilio comparendum

68 Tamen subditi Papæ tenentur illi, ut suo domi-
no temporali obedire.

69 Falsum est, & plane mentitum quod Papa uni-
uersos mortales maiestate superat.

A V Nam

- 70 Nam Romanum senatum maiestate non superavit Petrus.
- 71 Verbo quidem & ministerio superavit illum.
- 72 Sed quia Papa neq; uerbum neq; ministerium habet,
- 73 Ideo, & nec uerbo, nec ministerio superat ceteros mortales.
- 74 Externa pompa & larua non solum ceteros mortales, sed etiam Imperatorem, suum Dominum superat Papa.
- 75 Sed hæc non est neq; esse debet maiestas Papæ.
- 76 Antichristi est hæc maiestas, quod non solum sit supra Imperatorem, sed & supra uerbum Dei.
- 77 Non minus est impium quam falsum, dicere quod Papa sit numen cœleste inter homines.
- 78 Teterrimum monstrum & portentum in terris est Papa, ex corporalibus, & spiritualibus horribiliter conflatum.
- 79 Neq; tam fœdum & horrendum monstrum est in mari, quam fœdum & horrendum Papa est in terris.

Adulator

- 80 Adulator est pessimus, qui dicit Papam gerere uicem Christi in terris.
- 81 Apostoli non gerebant uicem Christi, sed tanquam ministri, uerbum eius illis demandatum, prædicauerunt.
- 82 Cuius uerbum & decreta prædicat, illius minister est Papa.
- 83 Satanae non Christi uerba & instituta prædicat Papa.
- 84 Nam clericis nuptias, & omnibus cibum quem Deus creauit prohibet.
- 85 Minister igitur Satanae est non Christi, etiam si sanctissime uiueret Papa.
- 86 Christi enim instituta damnat & blasphemat Papa.
- 87 Recte tamen de ecclesia Papæ, ab illa ipsa prophetatum est, quod Papa sit uicarius Christi.
- 88 Vicarius enim gubernator est domino absente.
- 89 Absens igitur est Christus, non præsens ecclesie Romanæ.
- 90 Gubernatur itaq; Romana ecclesia per Papam non per Christum.

In Lutherana

- 91 In Lutherana uero ecclesia, Christus est præsens, iuxta illud, Vobiscum sum usq; ad consummationem seculi.
- 92 Et ita est præsens quod omnia operatur in omnibus.
- 93 Imo omnia regit & gubernat ipse.
- 94 Et ideo surrexit, caelos ascendit, & sedet à dextris Dei.
- 95 Ut esset Dominus præsens ubiq; apud omnes uiuus & gubernans omnia.
- 96 Nullum ergo agnoscimus uicarium Christi in terris.
- 97 Agnoscamus autem eius ministros & apostolos, qui eius mandata nobis annunciant.
- 98 Præsentis non absentis Christi sunt apostoli & ministri.
- 99 Valeat ergo Papa & Roma cum sua ecclesia.
- 100 Facta enim est synagoga satanae & ex sponsa, purpurata meretrix.
- 101 Quemadmodum olim populus Dei factus est Idumæa, Propheta predicente.

Nec

102 Nec Iudei hoc credebant, in quorum exempla
plum nec Papistæ credunt Romam Babiloni-
am esse.

103 In tali pertinacia, per Romanos perierunt Iudei.

104 Sic obstinati & excecati in suo errore perie-
bunt Romanistæ.

105 Figura fuit synagoga Iudeorum, Ecclesie Ro-
mane, diuo Paulo teste.

Finis.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text near the bottom of the page.



19 807 64

19 807 64

19 807 64



ULB Halle

003 562 999



3



1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8
Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

